

in quo tria declarantur. I. adimpletio legis per Christum. II. quid significat dies octauus. III. de circumcisione literali, allegorica in resurrectione corporum, & morali seu tropologica. *lib. serm. de rebus ecclesiasticis; & habetur Tom. I. Auctarij Bibliothecae Patrum col. 816.*

S. LAURENTIUS IUSTINIANVS sermonem composuit pro hac solemnitate, in quo rationes affertur Christus circumcidi non dedignatus est, item de vario remedio pro peccati originalis deletione tam ante legem circumcisionis latam, quam post; deinde de mystica & morali nostra circumcisione, ac de anagogica in resurrectione: tandem de nominis Iesu virtute differit. *Parte. 2. fol. 613. 614. &c.*

S. MAXIMI in circumcisione, siue de Calendis Ianuarij increpatio; Vbi notantur paganorum superstitiones, in homilijs hyemalib. col. 565. 566. &c.

\* NICOLAI DE CVSA sermo in Euang. *Nomen eius Iesus Luc. 2.* Anima quae de sensibili motu iudicat, est libera, & non alligata membro seu organo, mensurat, diuidit & componit, & numerat; facit ex se mensuras, & vocatur mens à mensurando; mensurari autem non potest, quia tempori non subest; secus anima sensitiva quae non potest mensurare quia motui subest & tempori. Vnde mens, in quantum homini vnitur medio animae sensibilis, est in summo temporis: vt autem absoluta, ambit tempus: Et est in initio aeternitatis, ac horizon temporis & aeternitatis. *Vult docere supremam mentem Deum in se immensurabilem & sic innominabilem esse: idque ei solum competere vt vnitur corpori. Excitationum lib. 5. a pag. 501. ad pag. 502.*

Eiusdem, in eadem verba, sermo I. Sicut totum corpus purgatur quando de venâ brachij trahitur sanguis, sic totum corpus Christi, sc. fideles purgatur effusione sanguinis ipsius. II. Perfectiones omnium rerum sunt in Deo, & omnis creatura secundum aliquid habet similitudinem creatoris; ideo cum simile cognoscatur simili, Deum diuersis nominibus nominamus. Cum autem

A in omni resint tria, essentia, virtus, & operatio. Primum ex secundo, secundum ex tertio nouimus. Igitur in Deo, eum nouimus ex operatione. Deus autem operatur mira in creatione: iusta in redemptione: salutifera saluando. Ideo vocatur admirabilis, creator, amabilis, delectabilis, Saluator. *Excit. lib. 7. a pag. 568. ad pag. 569.*

\* RABANI MAURI homilia in octauis Domini. Puerum Iesum hominem Deum vnique se compotenter aptare declarat dum circumciditur, dum in templo offertur, dum baptizatur, dum Iesus appellatur. Deinde exponit quid significauerit legalis circumcisio. Vbi de operibus noui & veteris hominis. *Tom. 5. pag. 583. col. 1. & 2.*

B \* RADVLPHI ARDENTIS in festiuitate Circumcisionis Domini homilia in Euangel. Luc. 2. *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur, &c.* Circumcisio hinc triplex ponitur. Prima. Carnalis quae iussa fuit vt esset signum magnae fidei Abraham, vt per obedientiam homo mereretur, & per eam populus Dei ab alijs discerneretur: Fiebat in virili membro ad reprimendam concupiscentiam: cultro lapideo, quia per Christum in petra facienda erat: eandem vtilitatem quam nunc baptismus conferebat: Nomen in ea dabatur, quia fidelis de numero fidelium vocabatur. Christus voluit circumcidi vt sacramenta legis sacra esse demonstraret, exemplum humilitatis & obedientiae daret, se adimplere legem ostenderet. Secunda. Spiritualis, quae fit omnia vitia & superflua praecidendo. Tertia. Coelestis, sc. omne bonum sine malo, verum sine falso, sanctitas sine fastidio; regnum, sine termino, &c. *a fol. 56. pag. 1. ad fol. 58. pag. 2.*

S. THOMAE AQUINATIS sermones. 2. in hunc diem I. est in epistolam sed nihil proprium aut particulare habet pro hac festiuitate. II. est in euangelium in quo mira dicit de nomine Iesu, & varias inuentiones pro hoc festo efformat, praecipue autem ostendit nomen Iesu, esse admirabile, amabile